SVMMARIVM.

FIdem facio Ego Notarius qualiter die decima Ianuarij 1673. coram Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Vicario. Pro Ven. Monasterio illiusque Reuerendissimo Abbate, & Reu. Monacis S. Eusebij contra Reuerendissimum Capitulum, & Canonicos Ven. Ecclesiæ S. Laurentij in Damaso, & illius Parochum, Reu. D. Cæsarem Anticium Præfectum Ven. Ecclesiæ S. Agnetis in Agone. Vnus ex Curiæ nostræ Mandatarijs retulit se die septima huius eosdem citasse ad comparendum coram Eminentissimo Domino, & viden. mandari, consignari, & asportari ad infrascriptam Ven. Ecclesiam S. Eusebij Cadauer bo. me. Cardinalis Gualterij cum omnibus emolumentis ad effectum illum sepelliendi in *dicta Ecclesia Titulari* d. bon. mem. Cardinalis, & interim inhiberi, & mandatum de consignando, & asportando d. Cadauer vna cum omnibus emolumentis decerni, & relaxari ad p. d. *Absque decreto*.

Num. 1. *Ecclesia Titularis S. Eusebij bis instat pro consignatione Cadaueris Cardinalis Gualterij, sed reijcitur*

Item qualiter die 23. Ianuarij d. Anni coram dicto Eminentissimo, & Reuerendiss. D. Cardinali Vicario. Pro eisdem contra eosdem. Vnus ex Curiæ nostræ Mandatarijs retulit se die 14. huius eosdem citasse ad viden. mandari, consignari, & asportari ad infrascriptam Ven. Ecclesiam S. Eusebij Vrbis Cadauer bo. me. Cardinalis Gualterij vnà cum omnibus emolumentis, & mandatum de consignando, & asportando ad effectum illud sepelliendi in infrascripta Ecclesia S. Eusebij *Titulari* d. bo. me. Cardinalis decerni, & relaxari, ac decretum ad p. d. *Absque decreto*.

Num. 2. *Ecclesia Parochialis S. Laurentij in Damaso petijt, & obtinuit.*

Item qualiter die 28. Februarij eiusdem anni coram supradicto Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Vicario. Pro Reuerendissimo Capitulo SS. Laurentij, & Damasi contra Reu. D. Cæsarem Anticium Rectorem Ven. Ecclesiæ S. Agnetis in Agone, Reu. D. Andream Serasium Sacristam dictæ Ecclesiæ, D. Petrum Paulum Lamperinum exaduerso Procuratorem assertum *Ven. Ecclesiæ S. Eusebij*. Vnus ex Curiæ nostræ Mandatarijs retulit se die 25. huius eosdem citasse ad restituendum Instantibus Cadauer bon. mem. Cardinalis Gualterij cum omnibus Emolumentis in illius funere receptis alias grauari, & pro grauamine decerni, & relaxari mandatum executiuum ad p. d. == Relatione facta comparuit Procurator petijt, ac obtinuit vt supra facta tamen obligatione per Capitulum; eiusque Colle-

legia-

legiatæ Ecclesiæ S. Laurentij in Damaso fauore Ven. Ecclesiæ Sancti Eusebij iam Titularis eiusdem bo. me. Cardinalis Gualterij de restituendo eidem quid quid per Eminentiam Suam fuerit iudicatum nisi infrà quinque cum Intimatione; Quæ quidem Intimatio fuit executa,& in actis mei &c. legitime reproducta.

Ita est Nicolaus de Rubeis Angelinus Eminentiss. Domini Card. Vicarij Not.

Num. 3.

Partita Diarij Anni 1569. occasione obitus Card. Sarnani.

Anno à Circumcisione 1596. Die secunda Ianuarij. Quia bon. mem. Cardinalis Sarnanus obijt in Conuentu Fratruum Sanctorum Apostolorum fuit Corpus eius ad Vigilias celebrandas delatum in Ecclesia prædicta, fuerunt inuitati omnes Religiosi ad cantandas Vigilias, postquam congregati fuerunt aliqui Cardinales inceptę fuerunt Matutinæ defunctorum per Fratres Sanctorum Apostolorum Conuentualium, in fine primi Nocturni finitis Lectionibus Prior Conuentus accepto Pluuiali dixit *Pater &c.* & cantauit Orationem prout dicitur in Cœremoniali, quod in fine cuiuslibet Nocturni, & post Laudes peragendum erat, & ita consultus cum *D. Paulo primo Magistro* ordinaueram, sed superueniens D. Guido secundus Magister dixit Horas Matutinas non esse interrumpendas, sed continuò prosequendas vsque ad finem, & in fine Laudum aspergendum, & thurificandum Versiculos, & Orationes, non autem in fine cuiuslibet Nocturni, & ità sua solita temeraria præsumptione ordinauit, & exequi mandauit, non obstante quod ego dixerim hoc esse præter solitum, & debitum, & sic D. Paulus ordinauerat, videlicet, quod in fine cuiuslibet Nocturni per Priorem eius Religionis, qui Nocturnum cantauit, prout ego feceram obseruare in fine primi Nocturni, & prout conuenit; nam hoc expresè dicitur in Cœremoniali Libro primo Sixti Quinti cap. his verbis cum audiuit hora perstituta; & Paris Crassus in suo Tractatu de Funeribus, & Exequijs libro 3. cap. 4. clarius, & expressius hoc dem dicit - - - - - nec desunt infinita exempla, imò ego nunquam vidi seruari contrarium, nec vllum Dominus Guido ad fauorem suæ opinionis poterit inuenire exemplum; sed ne secum in Ecclesia contenderem inde discessi, & reliquum Officium Vigiliarum fuit, prout male ordinauit prosequutum.

Fuit inter Fratres Conuentuales Sanctorum Apostolorum, & Fratres Obseruantes Sancti Petri in Monte Aureo disputatum, in quo loco sepelliendum esset Corpus Cardinalis defun-

functi; Conuentuales illud apud se volebant, quia in earum Domo, & Parochia obijt, & de eorum ordine erat; Obseruantes contradicebant in eorum Ecclesia esse sepelliendum, quia eiusdem Ecclesiæ erat Titularis. Fuerunt hæc omnia Cardinalibus proposita, & quia D. Guido asseruit in Cœremoniali Libro expresse caueri Cardinalem defunctum, quando ab intestato obijt, in sua Titulari Ecclesia esse sepelliendum, decreuerunt Corpus tradendum esse Fratribus Sancti Petri in Monte Aureo, cum hac conditione, quod illud tenerent loco depositi, quia aliqui aiebant Cardinalem reliquisse eius Sepulturam in Oppido Sarnani Patria sua, quo casu ibidem esset transferendum; quod quidem decretum non fuit executioni demandatum, nam cum Vespere eiusdem diei Fratres Obseruantes Sancti Petri in Monte Aureo ibidem accessissent pro deferendo, & portando Corpore Cardinalis ad Ecclesiam Titularem eiusdem Cardinalis iuxtà decretum supradictum à Cardinalibus factum; Fratres Conuentuales Sanctorum Apostolorum noluerunt Corpus consignare, imò illud in quadam Cappella asconderunt, & magna lis inter eos exorta fuit. Posteà Conuentuales porrexerunt Pontifici preces petentes, vt Sanctitas Sua dignaretur ipsis concedere Corpus prædicti Cardinalis defuncti, vel in perpetuum, vel in depositum in euentum, in quem elegerit sibi Sepulturam in Oppido Sarnano, & nihil dixerunt de decreto facto ab Illustrissimis Dominis Cardinalibus. Obseruantes verò etiam preces Pontifici obtulerunt petentes Corpus Cardinalis Titularis Ecclesiæ suæ, quia sic conuenit, vt caueetur in Cœremoniali - - - - - in Memoriali verbis Guidi inherentes, & sic Illustrissimi Domini Cardinales decreuerant, & ordinauerant; Sanctissimus Dominus Noster Memoriale Magistris Cœremoniarum, vt quid de Iure sit, determinent, & adhuc lis pendet, *sed quod asseruit D. Guido in Cœremoniali Libro caueri Cardinalem defunctum esse sepelliendum in sua Ecclesia Titulari adhuc non inueni, nec legi, nec etiam D. Paulus Collega, vndè dubito Decretum Dominorum Cardinalium fore reuocandum, quia fundatum erat in verbis Domini Guidi, qui asseruit hoc caueri in Cœremoniali, quod non sine nostro, imò potius eius dedecore erit, qui temeraria sua audacia, & præsumptione falsa asserit, & quod expressè cauetur in Cœremoniali de absolutione in fine cuiuslibet Nocturni Matutinorum negat; quod verè in Cœremoniali non cauetur, nec reperitur sine rubore caueri, & reperiri asserit.*

Ego

Num. 4. Ego infrascriptus fidem facio me extraxisse ex Libro Defunctorum signato litt. B. pag. 29. sequentem Fidem.

Fides Parochi quo ad Sepulturam d. Cardinalis Sarnani.

Constantius Cardinalis Sarnanus de Sarnano Ordinis Minorum Conuentualium ætatis suæ 65. Animam Deo reddidit, cuius Corpus die 31. Decembris 1595. hora 17. quieuit, die Dominico inter Missarum solemnia fuerunt factæ exequiæ ferè ab omnibus Cardinalibus post tres dies in nostra Ecclesia, vbi erat Corpus eius, & adest per modum Depositi.

Frater Hyppolitus Saluonus ab Æxio Basil. Sanctorum XII. Apostolorum Vrbis Parochus.

R. P. D.

P R I O L O

Romana Iuris Tumulandi.

P R O

Ven. Ecclesia Parocchiali S. Andreæ de Frattis.

Summarium

ROMÆ, Typis Reu. Cam. Apost. 1703.
Superiorum permissu.